

EPISTULA LEONINA

LXXVI

PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,
 QUOD ĒDITUR
 E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI
 CUI NOMEN EST
LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.com/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS **GRATIS** ET **SINE ULLĀ OBLIGATIONE**. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS I-LXXV INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGIAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM
SEPTUAGESIMAM SEXTAM (76) !

LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATEM AMANTIBUS
SAL.PLUR.DIC. S.V.B.E.E.V.

Cara Lectrix, Care Lector,

valdê gaudeo, quod mihi licet Tibi offerre Epistulam Leoninam septuagesimam sextam.

Hac epistolâ tibi offero tres fabellas Grimmianas Latinê redditas:

DE VETERE SULTANO (“Der alte Sultan”)

DE SEX OLORIBUS (“Die sechs Schwäne”)

ROSULA SPINOSA („Dornröschen“)

*Huic triadi Grimmianae praeposui verba in Latinum conversa, quibus scribendis **Vilelmus Grimm** totum fabellarum librum tam eleganter quam amabiliter dedicavit **Bettinae** viduae **Ioachimi ab Arnim**, qui sex ferê annis ante fatis concesserat.*

Utinam tibi placeat haec trias fabellarum, quam indui veste Latinâ.

Tu autem pancraticê vale et perge mihi favere!

Medullitus Te salutat

**Nicolaus Groß
LEO LATINUS**



<http://www.leolatinus.com/>

LEO LATINUS

Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae, **d. Solis, 18. m. Maii a.2014**



AIUNT MULTUM LEGENDUM ESSE NON MULTA


PLINIUS MINOR
(62-113 p.Ch.n.)

cfr PLINIUS, *Epistulae* 7,9,15 C. PLINIUS FUSCO SUO S. ... 15 Habes plura etiam fortasse quam requirebas; unum tamen omisi. Non enim dixi quae legenda arbitrarer: quamquam dixi, cum dicerem quae scribenda. Tu memineris sui cuiusque generis auctores diligenter eligere. **Aiunt enim multum legendum esse, non multa.** 16 Qui sint hi adeo notum probatumque est, ut demonstratione non egeat; et alioqui tam immodice epistulam extendi, ut dum tibi quemadmodum studere debeas suadeo, studendi tempus abstulerim. Quin ergo pugillares resumis, et aliquid ex his vel istud ipsum quod coeperas scribis? Vale.

FABELLARUM GRIMMIANARUM

DEDICATIO A.1837 A VILELMO GRIMM SCRIPTA

Dominae Elisabethae de Arnim



WILHELM VON GRIMM
(1786-1859)

Cara Bettina,

hic liber iterum apud te devertit, tamquam columba, quae, postquam evolavit, patriam requisivit ibique quietê apricatur. Quem viridi involucro et auratâ fronte instructum viginti quinque annis ante Arnim tibi donis nataliciis interposuit. Nos gavisum sumus quod ille hunc librum tanti aestimavit, nec pulchriores gratias nobis dicere potuit. Arnim autem, cum illo tempore Cassellae apud nos per nonnullas septimanas versaretur, nos adhortatus erat, ut eundem êderemus. Ut îdem particeps erat omnium, quae erant vitâ propriâ insignia: qui respiciebat vel minutissima, velut folium viride vel florem campestem sciebat tangere perquam habiliter et ingeniosê considerare. Ex omnibus, quae collegeramus, illi viro plurimum placuerunt hae fabellae. Qui senserat nobis non nimis diu easdem esse retinendas, quia eo, quod studeremus, ne ullam fabellam praeteriremus, periculum esse, ne in fine totum opus relinqueremus inêditum. „Iam omnia scripta sunt tam purê

atque mundulê" addebat cum ironiâ benevolâ, nam, ut ipse solebat manu scribere audacter nec ita bene legibiliter, non magni facere videbatur litterulas claras et compositas. In conclavi huc illuc ambulans singula folia legebat, cum capiti eius insidebat avis canaria cicurata âlîs nitidê movendis corpus librans, quae in viri plenis cincinnis iucundê se habere videbatur. Hoc caput ingenuum ex annis iam requiescit in sepulchro, sed adhuc eius memoriâ commoveor, quasi eum heri demum ultimo vîderim, quasi adhuc stet in terrâ viridi tamquam arbor, quae quatit cacumen suum sole matutino collustratum.

Liberi tui, cum adoleverint, non iam egent fabellis: tibi ipsi vix causa est, cur eas relëgas, sed animus tuus cum sit perenni iuvenilitate, libenter a nobis accipies donum fidelis amicitiae et caritatis.

W.



ACHIM VON ARNIM (1781-1831)



ELISABETH (BETTINA) VON ARNIM
(1785-1859)

**HANC DEDICATIONEM
A. 1837 A WILHELM GRIMM SCRIPTAM
IN LATINUM CONVERTIT
NICOLAUS GROSS**



LEO LATINUS
<http://www.leolatinus.com/>



Recitator

Fabula romanica

quam theodiscê scripsit
Bernhard Schlink

in Latinum convertit
Nikolaus Groß



Editio prima
in domo editoriâ, quae appellatur
LEO LATINUS

Senden in oppido Bavariæ Suebicae
a. 2012

**Hic liber habet 291 (ducentas nonaginta unam) paginas. Versioni fabulae completae adiunctum est glossarium abundantissimum, quod continet 91 (nonaginta unam) paginas. Liber constat 45 € (quadraginta quinque euronibus) et directê per epistulam electronicam mandari potest a domo editoriâ, quae appellatur LEO LATINUS: SPQR@LEOLATINUS.COM
Libri numerus internationalis est ISBN 978-3-938905-32-6. TOLLE LEGE !**

FABELLAE GRIMMIANAE

Jacob Grimm 1785 - 1863 & Wilhelm Grimm 1786 - 1859

DE VETERE SULTANO.



EN BESTIAS DOLUM NECTENTES !

LUPUS SIMULAT SE INFANTEM RAPERE, CANIS SERVARE.

Cuidam agricolae erat canis fidelis, qui consenescens omnes dentes amiserat, ut nihil iam firmê arripere posset. Aliquando agricola cum uxore ante ianuam domesticam stans: »Veterem Sultanum« inquit »cras sclopetando necabo. Nam îdem nullo iam modo utilis est«. Uxor quidem animalis fidelis miserita: »Cani nostro« inquit »qui per tot annos nobis fideliter servierit, licet concedamus, ut nostrâ misericordiâ vivere pergat«. At vir: »Vah uxor« respondit »desine ineptire: iste cum sit prorsus edentulus¹ et a nullo fure timeatur, oportet pereat. Quod nobis serviit, iam sumus remunerati bono pabulo«.

Canis miser, qui haud procul apricabatur, omnia cum audivisset, tristis fuit, quod dies crastinus immineret sibi ultimus. Eidem erat bonus amicus lupus, ad quem vespere postquam in silvam repsit, lamentatus est de fato sibi imminente. Lupus autem : »Audi, patrine,« inquit, »bono animo sis, nam ego te in summas angustias adductum adiuvabo. Aliquid enim excogitavi. Cras summo mâne dominus tuus cum uxore ibit ad fenum colligendum, secumque abducent infantulum, quia nemo domi remanebit. Iidem operantes infantem solent postponere saepimento umbroso: pone te iuxta illum, quasi velis custodire. Deinde ego e silvâ veniam infantemque rapiam: tu autem oportet assiduê me saliendo sequaris, quasi velis infantem mihi eripere. Tum ego eum amittam, et tu

¹ orig. *er hat keinen Zahn mehr im Maul.* ēdentulus, -a, -um: dentium expers (dicitur de hominibus bestiisque). cfr PLAUT.Cas.550. TERT.de pall.5. ARNOB.3,14; HIERON.epist.128,3 e.al.

infantem parentibus reportabis, qui credant te illum servavisse, ut gratiores tibi sint quam ut tibi faciant aliquid mali: e contra, veniam impetrabis integram, tibi nullum ab illis pietatis officium deerit«.

Cani placuit hunc dolum nectere, et dictum factum. Pater cum lupum infante arrepto per campum currere conspexisset, clamavit, sed cum Sultanus infantem sibi reportasset, laetê eum permulcens: »ne digito quidem« inquit »te attingam. Tu habebis victum precarium, dum vives«. Uxori autem vir dixit: »Eas, quaeso, statim domum, ut Sultano nostro vetulo coquas sapidam pulticulam paniceam, quae ei non est masticanda, et afferas cervical e lecto meo, quod illi donem cubili imponendum«. Inde ex hōc tempore Sultanus melius se habuit, quam umquam sibi exoptasset. Brevi post lupus eum visitavit et gavisus est omnia tam bene contigisse. »At mi care compater« inquit »certê conivebis, te amabo, si quâ occasiunculâ datâ domino tuo auferam aliquem ovem pinguem. Nam hōc tempore difficile est vitam sustentare«. »Istud quidem« canis respondit, »noli sperare. Nam domino meo semper fidelis ero, nec umquam mihi licebit ab hac fide desistere«. Lupus autem, cum opinaretur haec verba non serio esse facta, nocte arrepsit ovem ablaturus. At agricola, cui Sultanus fidelis dixerat, quid lupus in animo haberet, eidem insidiatus pellem flagello vehementer mulcavit. Lupus non potuit, quin aufugeret, sed cani acclamavit: »Exspecta, sociofraude, poenas mihi dabis!«

Postridie mâne lupus misit suem, qui postularet, ut canis veniret in silvam, ubi de re agerent. Vetus Sultanus neminem invênit adiuturum nisi cattum, qui tribus tantum erat pedibus, et cum unâ foras exirent, miserrimus cattus claudicabat simul dolore affectus caudam sursum erigens. Lupus eiusque adiutor iam erant in loco, sed adversarium advenientem cum aspicerent, canis iisdem visus est secum habere acinacem, quia putaverunt caudam catti erectam esse talem gladium incurvatum. Necnon quaecumque misera bestia tribus pedibus saliebat, illi putaverunt eam lapidem tollere in se coniecturam. Tum ambo perhorruerunt: Sus ferus se abdidit in frondem humo iacentem et lupus arbori insiluit. Canis et cattus advenientes mirati sunt se neminem videre. Sus autem ferus non integer in frondem abditus erat, sed eius aures adhuc eminebant. Catto consideratê circumspectante sus aures huc illuc permovebat: Tum cattus murem in fronde moveri putans insiluit auresque alacriter momordit. Sus autem magno clamore sublato surrexit et aufûgit vocans: »Ibi in arbore sedet nocens !«. Tum canis cattusque conspexerunt lupum in arbore sedentem. Denique is, quem puderet se tam ignavum praestitisse, cum cane pacem composuit.

**FABELLAM GRIMMIANAM
C.T. »Der alte Sultan«**

IN LATINUM CONVERTIT

NICOLAUS GROSS



LEO LATINUS

<http://www.leolatinus.com/>

DE RAPTORE HOTZENPLOTZI

Fabula Casparuli

quam theodiscê narravit

Otfried Preußler

in Latinum convertit

Nikolaus Groß



Editio prima

in domo editoria, quae appellatur

LEO LATINUS

Hic liber habet 136 (centum triginta sex) paginas. Versioni fabulae completae adiunctum est glossarium abundantissimum, quod continet 24 (viginti quattuor) paginas. Liber constat 25 € (viginti quinque euronibus) et directê per epistulam electronicam mandari potest a domo editoriâ, quae appellatur LEO LATINUS: SPQR@LEOLATINUS.COM

DE SEX OLORIBUS.



ECCE SEX OLORES AB ANNE ANDERSON PICTI (a.1922)

Aliquando rex in silvâ magnâ venans aliquam bestiam feram tam vehementer venatus est, ut nemo comitum eum sequi posset. Cum advesperasceret, ut consisteret et circumspectaret, rex animadvertit se viâ deceptum esse. Quarebat, ubi ex silvâ exiret, sed non invênit. Tandem anum vidit capite vacillante sibi appropinquantem; quae fuit malefica. Quam allocutus rex: »Cara mulier, nonne scis mihi dicere, qua viâ ex silvâ exeam?« - »Certê« illa respondit, »hoc scio, Domine Rex, sed est quaedam condicio, sine qua numquam ex silvâ exhibis et in eâdem fame peribis.« »Quaenam est haec condicio?« rex interrogavit. »Est mihi,« anus inquit, »filia, qua pulchriorem in mundo non invenies, et ea verê digna est, quae fiat uxor tua; quam si in matrimonium ducere

Dominamque Reginam facere volueris, tibi monstrabo, qua viâ ex silvâ exiturus sis.« Rex cum timore commotus affirmavisset, ab anu ductus est domunculam, ubi filia eius ad ignem sedebat. Quae regem recepit, quasi eum exspectavisset, et is vidit puellam pulcherrimam esse, tamen ei non placuit neque eam aspicere potuit nisi quadam cum formidine secretâ. Cum puellam equo suo imposuisset, anus ei monstravit, qua viâ equitandum esset, et rex rediit in castellum suum regale, ubi nuptiae sunt celebratae.

Rex autem antea iam fuerat uxoratus et ex uxore suâ priore acceperat septem liberos, sex filios unamque filiam, quos plus diligebat quam ullum aliud in mundo. Cum autem timeret, ne noverca illos male curaret neve quid mali illis faceret, liberos suos intulit in castellum solitarium, quod situm erat mediâ in silvâ. Quod erat tam bene abditum et via ad idem ferens tam difficilis erat inventu, ut ipse illam non inventurus fuerit, nisi femina sapiens glomus lini mirabile ei donavisset; hoc enim glomus cum ante se proiciebat, sponte suâ evolutum viam ostendebat, qua eundum esset. Rex toties foras exibat ad caros liberos suos, ut tandem regina animadverteret absentiam eius; itaque curiosa facta sciscitabatur, quidnam marito toties in silvâ esset agendum. Itaque ministris eius multam pecuniam dedit, ut sibi proderent secretum necnon reginae narrarent de glomere, quo sôlo via indicaretur. Nunc non conquievit, donec inveniret, ubi rex glomus illud reconderet, et hôt invento confecit parvas camisiolas, et cum a matre instituta esset artibus magicis, camisiolis insuit res magicas. Rex autem cum venatum abequitasset, regina camisiolas secum afferens profecta est in silvam, ubi glomere usa viam invênit. Pueri ex longinquo advenientem cum viderent, carum patrem ad se venire putantes laetissimê prosiluerunt. Tum regina omnes operuit camisiolis, quae cum corpora puerorum attigissent, iidem mutati sunt in olores et trans silvam avolaverunt. Nunc regina laeta domum iit putans se facile defunctam esse privignis suis, sed puella non unâ cum illis cucurrerat, nihilque regina scivit de eâ. Postridie rex vênit liberos suos visitaturus, sed neminem invênit nisi puellam. »Ubi sunt fratres tui« rex quaesivit. »Heu care pater« filia respondit, »qui avolaverunt meque solam reliquerunt,« et narravit se ex fenestellâ suâ spectasse, quomodo fratres in formam olorum redacti trans silvam avolarent, et patri monstravit pennas, quas illi in aulâ amiserant et quas collegerat. Rex quidem tristis fuit, sed non cogitavit reginam hoc facinus malum fecisse, et quia timuit, ne filia quoque sibi raperetur, eandem voluit secum abducere. At puella cum timeret novercam, rogavit regem, ut sibi liceret hac tantum nocte in castello silvestri remanere.



„SEX OLORES“ AB HENRICO VOGELER PICTI.

Misera autem puella cogitavit haec: »Nolo diutius hic remanere, proficiscar fratres meos quaesitura«. Cum obtenebresceret, ea mediam in silvam aufûgit. Puella per totam noctem diemque sequentem migravit, usquedum fatigatior erat, quam ut migrare pergeret. Tum ea vidit casam silvestrem et ascendit et invênit cellam sex lectis instructam, sed non ausa est se in aliquo eorum collocare, sed repsit sub aliquem lectum, decubuit in sôlo duro, ubi voluit pernoctare. Sole autem occasuro puella fremitum audivit et sex olores per fenestram intro volantes. Qui in sôlo se consederunt, unus alterum afflavit et afflando omnes pennas sustulit, et cutis eorum olorina tamquam camisia est dstricta. Tum puella illos aspiciens fratres recognovit et laetê erepsit e loco sub lecto posito. Fratres autem sororculâ aspectâ haud minus laetati sunt, sed breviter tantum. Nam dixerunt: »Hîc non poteris remanere. Hoc est deversorium raptorum, qui, si domum ierint teque invenerint, te occîdent« Tum

sororcula: »Vosne« inquit »nonne poteritis me tutari?«. »Non« illi responderunt »poterimus, nam possumus omni vespere per quadrans tantum horae deponere cutem nostram olorinam, et hōc tempore sumus figurâ nostrâ humanâ, sed deinde remutabimur in olores«. Sororcula flens: »Nonne« inquit »redimi poteritis?« »Nequaquam« illi responderunt, »nam condiciones sunt nimis graves. Per sex annos tibi neque licebit loqui neque ridere, et hōc tempore debebis sex camisiolas ex floribus stellatis consuere. Si unum tantum verbum ex ore tuo effugerit, totus labor frustra erit exanclatus«. Cum autem fratres haec dixissent, quadrans horae pars erat transactum et iidem in olores mutati ex fenestrâ avolaverunt.

Puella autem secum cogitavit se velle fratres redimere, etiam pretio vitae propriae. Postridie mâne eadem exiit, flores stellatos collegit, coepit suere. Loqui cum nemine potuit, ridere non cupivit: sedebat et nihil aspectabat nisi opus faciendum. Cum iam per longum tempus ibi versata esset, factum est, ut rex terrae in silvâ venaretur, et venatores eius ad arborem venirent, in qua puella sedebat. Qui eam appellaverunt et rogaverunt: »Quis es?«. Illa autem non respondit. »Descende ad nos« inquam »nihil mali tibi volumus«. At illa nihil fecit nisi caput quassit. Cum illi pergerent puellam quaerendo urgere, ea venatoribus deiecit torquem auream, ut contenti essent. Illi autem non perrexerunt, tum illis cingulum deiecit, sed cum hoc quoque nihil valeret, taenias tibialium, et unum post aliud, quod gerebat indutum et quo carere potuit, ut nihil retineret nisi camisiolam. Venatores autem non siverunt se recusari, arborem ascenderunt, puellam detulerunt, ad regem adduxerunt. Rex rogavit: »Quis es? Quid agis in illâ arbore?« At illa non respondit. Rex ex illâ quaesivit omnibus linguis, quas noverat, sed puella remansit tam muta quam piscis. Eadem autem tam pulchra erat, ut rex animo commoto incideret in puellae amorem. Qui illam amiculo suo obtexit, sibi in equo praeposuit, in castellum attulit. Tum curavit puellam vestibus sumptuosis induendam, ut ea pulchritudine suâ luceret tamquam dies lucidus, sed puella moveri non poterat, ut unum saltem verbum êderet. Rex eam ad mensam iussit iuxta se sedere, et puellae vultûs modesti bonique mores regi tam bene placuerunt, ut diceret: »Hanc cupio in matrimonium ducere nec ullam aliam, quae est in mundo« et paucos post dies nuptias cum puellâ celebravit.

At rêgi fuit mater mala, quae cum sibi displiceret novum filii connubium, male loquebatur de iuvene reginâ. »Quis scit«, inquit »unde venerit ista puella, quae loqui non potest: quae non digna est rêge«. Anno transacto, cum regina peperisset infantem primum, anus eum abstulit et reginae dormienti ôs sanguine oblevit. Deinde iit ad regem et reginam accusavit eam esse anthropophagam. Rex autem hoc credere noluit nec passus

est uxori aliquod malum afferri. Quae solebat sedens camisiolas consuere nec attendere ad ullam aliam rem. Proximâ vice cum iterum puerum pulchrum peperisset, socrus fallax eandem fraudem iterum fecit, sed rex, cum non crederet verbis mulieris: »Ea« inquit »magis pia et melior est, quam faciat tale facinus; nisi muta esset seque defendere posset, patefieret eam esse innocentem«. At tertiâ vice cum anus rapuisset infantem neonatum reginamque accusavisset, quae ne unum quidem verbum diceret, ut se defenderet, rex non iam potuit quin eam traderet iudicibus, qui reginam ad rogam damnaverunt.

Cum dies supplicii sumendi appropinquaret, simul dies ultimus sexennii transactus erat, quo ei neque licuerat loqui neque ridere, et fratres liberaverat a magiae potestate. Sex autem camisiae erant confectae exceptâ ultimae manicâ sinistrâ. Cum regina nunc duceretur ad rogam, camisas bracchio imposuit, et in summo rogo stans et flammae essent flagranturae, ea circumspectans conspexit sex olores per aëra advolantes. Tum regina praesentiens redemptionem sui ex animo gavisâ est. Olores autem sonorê ad eam advolaverunt et ita se deflexerunt, ut ea sibi camisas iniceret; quibus cum essent attacti, cutes olorinae deciderunt et ante reginam steterunt fratres ipsissimi, recentes et pulchri; minimus tantum natu expers erat bracchii sinistri, et bracchii loco ei erat ala olorina in dorso. Inter se amplectabantur osculabanturque tenerimê, et regina iit ad regem et: »Marite carissime« inquit »nunc mihi licet loqui tibi patefacere me esse innocentem falsoque accusatam« et rêgi narravit de fraude istius vetulae, quae sibi abstulisset tres infantes et celavisset. Tum rêge vehementer gaudente ii infantes allati sunt, sed socrus mala in rogo vincta ad cinerem est combusta. At rex et regina cum sex fratribus suis per multos annos vixerunt beatê atque pacificê.

**FABELLAM GRIMMIANAM
C.T. »Die sechs Schwäne«**

IN LATINUM CONVERTIT

NICOLAUS GROSS



LEO LATINUS

<http://www.leolatinus.com/>

DE ROSULA SPINOSA¹

Olim fuerunt rex et regina, qui cottidie dicebant: »Utinam accipiamus infantulum!« nec ullum accipiebant. Tum factum est, ut reginâ balneante rana ex aquâ ad terram reperet et ad illam diceret: »Votum tuum explebitur, priusquam annus transactus erit, filiam paries«.

Et id quod rana dixerat factum est, et regina peperit puellam, quae erat tam pulchra, ut rex prae gaudio sibi non temperaret, ut celebraret festum magnificum atque splendidum. Qui non solum homines sibi cognatos et amicos et nôtos invitavit, sed etiam mulieres sapientes, ut infanti essent clementes et propitiae. Quarum in regno eius erant tredecim, sed cum rêgi duodecim tantum essent catini aurei, e quibus illae comederent, necesse erat unam illarum maneret domi.

Festum celebratum est omni cum magnificentiâ, et cum esset finitum, mulieres sapientes infanti donaverunt dona mirifica: una ei donavit virtutem, altera pulchritudinem, tertia divitias, ergo omnia, quae in mundo possunt exoptari. Undecim mulieres cum verba sua modo dixissent, subito intravit tertia decima. Quae voluit ulcisci, quod non erat invitata, et nemine salutato nemineque aspectu magnâ voce vocavit: »Filia rêgis anno aetatis suae quinto decimo utinam fuso puncta concidat mortua«. Nec ullo verbo addito conversa oecum reliquit. Ceteri omnes territi, sed tum prodiit mulier duodecima, cui restitit aliquid optandum, et quia optatum illud malum non potuit tollere, sed tantummodo mitigare, dixit haec: »At ne sit mors, sed somnus centum annorum artus, quo filia rêgis sopiatur«.

Rex autem, qui caram suam infantem a malo vellet servare, edixit, ut totius regni omnes fusi comburerentur. At in puellâ septem mulierum sapientium dona expleta sunt omnia: nam ea tam pulchra et bene morata et affabilis et sagax erat, ut omnis homo, qui illam aspectabat, necesse erat diligeret. Factum autem est, ut eo die, quo puella erat quindecim annos nata, rex reginaque non essent domi, et puella prorsus sôla in castello remaneret.

Deine huc illuc ibat, conclavia cubiculaque ad libitum suum inspectabat, et denique vênit ad turrim vetustam. Tum per cochlidem angustam ascendit et attigit ad ostiolum. Huius claustro infixâ erat clavis ferruginea, qua circumversâ ostium raptim apertum est et in cellulâ anus quaedam cum fuso sedebat sedulêque linum nebat.

¹ Rosula Spinosa, orig. *Dornröschen*.



**ROSULA SPINOSA INVENIT CELLULAM IN TURRI SITAM, CUI INSIDET ANUS CUM FUSO
MANUALI. A.1890 pinxit Alexander Zick (1845-1907).**

"Salva sis, anicilla," filia régis inquit, "quid hîc agis?" - "Neo" anus dixit annuens. "Quaenam" illa inquit „est haec res, quae tam vegetê circumsilit?" Haec puella dixit et fuso sumpto ipsa nere voluit. At vix fusum attigerat, votum illud magicum est expletum, ut puella fuso digitum pungeret. Eo autem momento temporis, quo puella sensit se pungi, decidit in lectum ibi statutum et arto somno sopita est.



ECCE AULICOS SOMNO CENTENNI¹ CAPTOS, A GUSTAVO DORÉ A.1867 DELINEATOS.

Hic autem somnus passim valere coepit per totum castellum: rex et regina, qui modo oecum intraverant, obdormiverunt et unâ cum iis omnes aulici. Tum obdormiverunt equi in stabulo, canes in aulâ, columbae in tecto, muscae ad parietem, immo, ignis, qui flagrabat in foco, quievit et obdormivit, caro quae in sartagine assabatur desiit sonum êdere et coqus tironem culinarem, qui aliquid peccasset, crinibus trahendis puniturus, illum amisit et obdormivit. Et ventus remisit et in arboribus ante castellum sitis ne foliolum quidem motum est. Circa autem castellum coepit crescere saepes spinosa, quae quotannis altior facta est, qua denique totum castellum est circumdatum et quae super castellum tantopere crescebat, ut nihil iam castelli videretur, ne vexillum quidem tecto impositum.

¹ «Centennis» (par C. du Cange, 1678), dans du Cange, *et al.*, *Glossarium mediae et infimae latinitatis*, éd. augm., Niort : L. Favre, 1883-1887, t. 2, col. 264a. <http://ducange.enc.sorbonne.fr/CENTENNIS> CENTENNIS, Centenarius, ætatis centum annorum. Gildas Sapiens de Excidio Britanniae: Nam Centennis tu ob religiosa merita, vel coævus Mathusale, exceptus ab omni prole servaberis ?

Cum autem per terram fama ferretur pulchrae Rosulae Spinosae dormientis, qualis filia rēgis vocabatur, interdum filii regum adveniebant, ut per saepem spinosam in castellum pervaderent. At hoc eis non contigit, ut perficerent; nam spinae quasi manibus essent instructae, una ab alterâ non dividebantur, ut iuvenes iisdem adhaerentes se non iam liberantes miserrimê morerentur.

Multis annis post denuo filius alicuius rēgis in terram vênit et audivit senem de saepe spinosâ narrantem, cui postpositum esse castellum, in quo pulcherrima filia rēgis, cui nomen esset Rosulae Spinosae, iam ex centum annis dormiret, et unâ cum illâ dormire regem et reginam et omnes aulicos. Îdem senex ex avo suo etiam audiverat multos iam filios regum conatos esse per saepem spinosam pervadere, sed illos spinis adhaerentes mortem obiisse tristissimam. Tum iuvenis: »Non« inquit »timeo. Velim proficiscar, ut videam pulcherrimam illam puellam«. Senex bonus iuveni quamquam iterum iterumque ab incepto dissuadebat, verba eius ab illo non audita sunt. At nunc modo centum anni praeterierant, et dies venerat, qua dictum erat, ut Rosula Spinosa resuscitaretur. Cum filius rēgis saepi spinosae appropinquaret, pro spinis fuerunt magni flores pulchri, qui suâ sponte unus ab alio divisi illum integrum pervadere permiserunt, et post illum cum inter se coniungerent, saepes est redintegrata. In aulâ castelli filius rēgis aspexit equos et canes venaticos maculosos dormitantes, in tecto sedebant columbae, quae capitula âlîs supposuerant. Filio rēgis domum intrante dormiebant muscae parieti assidentes, coquus in coquinâ adhuc manum tenebat, quasi arrepturus tironem puerum, et ancilla sedebat ante gallinam nigram, cuius plumae erant vellendae.

Tum filius rēgis ire perrexit et in oeco conspexit omnes aulicos cubantes et dormientes, et supra in throno cubabant rex et regina. Tum etiam ire perrexit, et omnia erant tam quietata, ut audiret spiritum suum proprium, et tandem vênit ad turrim et aperuit ostiolum cellulae illius, in qua dormiebat Rosula Spinosa. Ibi ea iacebat et erat tam pulchra, ut filius rēgis oculos non averteret et dorso flexo puellae daret osculum.

Cum autem eam osculo attigisset, Rosula Spinosa oculos aperuit, resuscitata est, et illum aspexit perquam comiter. Tum unâ descenderunt, et expergefati sunt et rex et regina et omnes aulici et unus alterum aspexit oculis intensis.



EN ASPICE ROSULAM SPINOSAM DORMITANTEM !

Pictura aquaria ab Henry Meynell Rheam a.1899 confecta.

Et equi in aulâ surrexerunt seque excusserunt; canes venatici saluerunt caudasque agitaverunt; columbae in tecto sedentes capitula ex âlîs retraxerunt, circumspexerunt, in campum volaverunt; muscae parieti assidentes perrexerunt repere; ignis in culinâ resurrexit, flagavit, cenam coxit; assum denuo coepit crepare; et coqus puero alapam duxit tantam, ut is clamaret; et ancilla perrexit gallinam vellere.

Tum denique nuptiae filii rēgis cum Rosulâ Spinosâ celebratae sunt magnificentissimê, et ambo laetê vixerunt usque ad vitae suae finem.

* * * FINIS * * *



ROSULAM SPINOSAM A PRINCIPE EXPERGEFIERI
Quam saec.19. exeunte pinxit Heinrich Leutemann
sive Carl Offerdinger.

**FABELLAM GRIMMIANAM
CUIUS TITULUS ORIGINALIS EST**

»Dornröschen«

IN LATINUM CONVERTIT

NICOLAUS GROSS



LEO LATINUS

<http://www.leolatinus.com/>

Gosciny & Sempé
Parvus Nicolaus
Der kleine
Nick
auf Latein und Deutsch



Diogenes

**Libellus chartâ durâ involutus
 Quem scripsit *René Gosciny*,
 lineamentis instruxit *Jean-Jacques Sempé*.**

PARVUS NICOLAUS
Narratiunculæ
quas theodiscê reddidit *Hans-Georg Lenzen*,
Latinê *Nikolaus Groß*.

Quomodo fieri potest, ut Latinê colloquaris de rixationibus, pedifollio, magistrisque molestis? Hoc tibi explicabit Renatus Gosciny, auctor Asterigis, de altero heroe suo narrans, i.e. de Parvo Nicolao («Le Petit Nicolas», editio theodisca complectitur 1,6 miliones exemplorum!), cuius mox edetur pulcherrimus libellus bilinguis (Latino-theodiscus). *Chouette – Prima!* - Bellissimê!

Libellus involucro semilineo instructus, 144 paginae.
Edetur mense Aprili a.2014

ISBN 978-3-257-01169-2

€ (D) 16.90 / (A) 17.40

sFr 24.90*

*** pretium commendatum, non obligatorium.**

VOCES & ECHÛS

Mauricius Bettini Professor palaeophilologus urbis Senarum (*i.e. Siena*)

Dilecte amice in mustelis,

maximas tibi gratias ago pro epistula leonina, immo mustelina, quam mihi tam liberaliter mittere voluisti quamque libentissime perlegi. Certiorem me fecisti de multis mustelinis moribus quos antea mihi parum compertos habui, multos antiquos recentiorisque temporis auctores aptissime producens.

Vale Mauricius Bettinius

Marcus Cristini Nicolao Groß s.p.d.

Libentissime legi in *Epistula Leonina* 74 et 75 de historia mustelarum. Animal hoc bene notum est in Italia septentrionali, ut scribit Mauritius Bettini. Nam avus meus oriundus erat a pago in montibus prope Veronam. Mihi puerulo saepe narrabat de acerrimis pugnis cum mustelis, quae gallinas parentum eius vorabant. Ego, qui in urbe natus sum, illo tempore numquam mustelam de visu aspexeram, sic cogitabam, proeliis avi mei fortasse paulum nimis auditis, mustelas esse leonum instar. At olim avus meus ostendit mihi conditam cum straminibus mustelam, quae, misera, tardior quam ceterae fuerat. Ego, qui beluam magnitudine tigridis expectabam, satis triste murem quendam spectavi...

Optime vale

Marcus Cristini

P.S. In *Epistula Leonina* 75 (p. 23) lego mustelam italice *domnola* appellari. Re vera nomen est *donnola*, ut recte scriptum est in *Epistula Leonina* 74 (p. 8). Nam DOMINULA>DOMNULA>DONNOLA, ut DOMINA>DOMNA>DONNA (Mulier est enim Italice *donna*).

Wolfram Bohmhammel Leoni Latino salutem plurimam dicit.

Libenter litteras tuas legere soleo, cum mihi tempus vacat, quod pro dolor non semper itast. Novis verbis Latinis in hac epistula lectis autem animadverti verbum quod mea sententia dici non potest, id est "scandibulum" pro Anglico verbo "scanner". Quod instrumentum enim nullo modo ad scandendum - id est ad altitudinem mutandum - pertinet. Idem censeo de ceteris aliorum propositis velut "scansorium" eqs. Propono ipse "scrutatrum" secundum veriloquium verbi

Anglici "to scan" quod "scrutari" significat. (Ceterum si tua interest, nonnulla verba "nova" ex usu septimanarum Latinarum mittere possim - quae autem nullo modo ordinata sunt, sed e necessitatibus colloquendi inventa.)

Cura ut bene valeas.

Responsum Leonis Latini.

Care Wolframe,

gratias tibi ago, quod de novo verbo fingendo nobiscum deliberare nos dignatus es.

De vocabulo illo Anglico, q.e. *scanner*, in Latinum convertendo in praesenti haec breviter tibi annuntio (postea certê plura):

1. Non latet me anglicum verbum temporale *to scan* hodie plerumque valere i.q. perscrutari.


2. Tamen idem verbum anglicum – hodie quoque – sicut verbum Latinum originale habet etiam vim versum scandendi (cfr Oxford Latin Dictionary, p.1699, s.v. scando 6:

“(tr.) **To scan (a verse)**. Scandimus si quando uersum quolibet metro datum MAUR.547; scandunt pentametrum, duo sint quas icommata, quidam 1753.”

cfr CLAUDIAN. epigr.29,2 scandere qui nescis, versiculos laceras.

3. Etymon verbi Anglici est verê Latina; significatio metri versûs alicuius poetici perscrutandi translata est ad perscrutationem generalem. Tamen hodie quoque significatio originalis valet.

En lege verba etymologi <http://www.etymonline.com/index.php?term=scan>:

[scan \(v.\)](#) 

late 14c., "mark off verse in metric feet," from Late Latin *scandere* "to scan verse," originally, in classical Latin, "to climb, rise, mount" (the connecting notion is of the rising and falling rhythm of poetry), from PIE *skand- "to spring, leap, climb" (cognates: Sanskrit *skandati* "hastens, leaps, jumps;" Greek *skandalon* "stumbling block;" Middle Irish *sescaind* "he sprang, jumped," *sceinm* "a bound, jump").

Missing -d in English is probably from confusion with suffix -ed (see [lawn](#) (n.1)).

Sense of "look at closely, examine minutely (as one does when counting metrical feet in poetry)" first recorded 1540s. The (opposite) sense of "look over quickly, skim" is first attested 1926. Related: Scanned; scanning.

4. Haec origo anglici verbi Latina multum valet in novo nomine Latino fingendo, nam nomen instrumenti Anglicum hodie ferê ubique valet.

5. Neologismus *scrutatri, quem tu proponis fingendum, consonantium redundantiâ magis cacophonicus quam probabilis videtur. Melius quadrat *scrutabulum, -i n.; hoc quidem similiter sonat ac rutabulum, quod est nomen instrumenti alius iam antiquum.

6. *Scrutabula autem, i.e. instrumenta rem aliquam perscrutandi, sunt permulta; oportet hoc nomen sit magis generale, nomen aliquatenus magis speciale oportet sit ***scandibulum**. Quae forma verbi invenitur etiam in hōc lexico octavi decimi saeculi: Thesaurus linguae latinae in IV tomos divisus, tomus 4, quam scripsit Robertus Estienne, Basileae 1743, p.152, in quo *scandibulum valet instrumentum scandendi. Haec hactenus de hōc verbo, aliâ occasione datâ plura.

In abyssis interretialibus de novis quoque verbis Latinis multi multa solent mentibus revolvere atque ruminare, sed saepe verba nova proponunt parum consideratê atque circumspēctê, nimis temerariê atque barbaricê. Oportet in talibus rebus tractandis respiciantur omnes rationes notionis novâ veste Latinâ induendae: non solum ratio semantica, sed etiam etymologica et phonetica et morphologica, ne confunderetur verbum novatum cum verbo iam pridem nôto, neve orentur monstra verborum absona et mendosa. Ii autem, qui linguam Latinam disciplinasque linguisticas prioribus tantum labris attigerint, oportet desistant a studiis et sibi et ceteris Latinae linguae amatoribus parum fructuosus, ne laudentur verbis illis Ovidianis, quae sunt:

Ut desint vires tamen est laudanda voluntas!

Haec habui, mi care Wolframe, quae de verbo *scanner* Latinê reddendo tibi quam brevissimê scriberem. Ceterum libenter accipiam vocabula “nova ex usu Septimanarum Latinarum” collecta – sed de singulis universis cautê et circumspēctê erit iudicandum.

Pancratice vale et perge mihi favere.

Medullitus te salutat

LEO LATINUS



**HANC EPISTULAM LEONINAM
SEPTUAGESIMAM SEXTAM**

SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT

Die Solis, d.18. m.Maii. a.2014

Nicolaus Groß

LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.com/>